

**A** eius, & semen seruatorum eius, & qui diligunt nomen eius. Et hoc Deus in lege populo Israëlitis prædixerat. Huius admonet hinc Propheta, ut agnoscant se hæcenus merito peccatorum suorum afflictos fuisse, & caueant in posterum, ne delinquentes contra Dominum idem patiantur.

Hi versus bifariam considerandi sunt. Primum, quod attinet ad typum regni Christi, regnum videlicet & populum Israëlitis, terramque illius Canaan. Deinde, quod regnum Christi concernit. In ipso typo videmus ista proponi. 1. Primum, quantum sit beneficium, & qua animi gratitudine agnoscendum ac deprecandum, si Deus adsit populo suo in hac vita, illumque contra impios hostes tutetur, ciuitates ac terram illius ædificet, & in pace custodiat. Ut Israëlitis beneficentiam istam grato animo expendere, ad laudem Dei non ipsos, sed cælum, terram, maria, & omnia quæ in illis mouentur, excitauit. Erat enim reuera magnum, populum tanto finitimarum gentium odio, & regis quoque sui impij & hypocritæ tyranide non pressum iam, sed penè oppressum, per pastorem ouium, puerum etiam fratribus suis contemptum, restituere, & in tantam felicitatem dilatati regni prouehere, ut non immerito stupeat Propheta & pius rex, nec contentus sit per seipsum laudari Deum, aut Israëlitas admonere ad laudem Dei: sed cælum, terra, maria, & quicquid in illis mouetur, ad laudandum Deum magno spiritu excitet. 2. Deinde videmus etiam hinc, cuius sit donum, si liceat feliciter & quietè habitare in terra: nempe Dei, cuius est ædificare ciuitates, & conseruare illius habitatores. Nisi enim Dominus ædificauerit & custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt & ædificant eam. Non est igitur sperandum in principes filios hominum, in quibus non est salus. 3. Tertio & hoc docemur, quibus liceat frui ista beneficentia Dei: videlicet seruis Dei, & semini ipsorum, modo diligant nomen eius. Scio pijs in hoc seculo, maximè noui Testamenti, accidere multa aduersa: verum hoc loco non loquitur Propheta de singulari illa prouidentia Dei, qua electos suos sub cruce specialiter ac priuatis exercet, sed de generali illa qua populos & vrbes nominis sui cultores ac reuerentes cõseruat ac tutatur: rursus contemptores ac transgressores flagellis suis inuisit, & ex habitationibus suis plerumque exturbat: id quod hic ipse populus expertus est in veteri, & primi Christiani, Asiatici videlicet, Syri, Ægyptiaci, Græci, &c. in nouo Testamento.

OBSER.

DE REGNO CHRISTI.

Quod ad regnum Christi attinet, omnium iustissimè ad laudandum Deum excitantur cælum, terra, & maria, hoc nomine, quod Deus populum Zijonis & Ierusalem: id est, credentes conseruat, & regnum Christi ædificat, in quo ciues illius perpetua hæreditate omnium felicissimè habitabunt. Et hic sensus miraculum nobis proponit omnium stupendissimum, quod videlicet miseri credentes Mundi huius peripsema, & oues occisionis paratam habent, certam & inconcussam cælestis regni habitationem. Sed, ô bone Deus, quotusquisque est qui seruiat tibi, nomenque tuum diligit, ut felicitatis regni tui, quam hinc commendat Propheta, particeps esse possit? Oremus ergo Dominum, postquam nostro seculo vterque status cum regni Christi, tum externus ille & vnicus afflictatur, ut cælestis ille saluator & ædificator regnorum, cursum regni Christi cum primis, deinde & publicam tranquillitatem tutetur & conseruet.

PSALMVS LXX.

PRAECENTORI DAVIDIS AD MEMORANDVM.

ARGVMENTVM PSALMI.

**P**salms hic totus precatorius est. Et licet videatur precationem habere hominis priuati, reuera tamè rectè intuenti satis apparet, referre astum hominis non priuati: id est, non priuatam, sed publicam causam sustinentis, illiusque nomine propter malitiam impiorum periclitantis. Atque ob eam causam quæcumque hic precatur Propheta, non tam se, quam populum Dei concernunt. Imò ardentè affectat gloriam Dei, quam videbat pessundari, si ipse à Deo deseratur. Non luctatur propria gloria gratia, sed ut nomē Dei ab iniuria vindicet, confusionem imprecatur hostibus, & gaudium pijs, Deum querentibus. Hæc duo velut fontes sunt huius Psalmi, qui serè ad verbum in fine quadragesimi habetur. Videmus eum quotidie versari à sacrificulis & monachis, à quibus in horis, quas vocant Canonicas, auspicandi gratia reliquis præmittitur. Sed vtinam ex iisdem fontibus apud eos scaturirent hæc verba, vnde apud Prophetam profluxerunt.



- D**EVS ad liberandum me, Domine ad adiuuandum me festina.  
 2. Confundantur & pudefiant, qui querunt animam meam: auertantur retrorsum & ignominia afficiantur, qui malè mihi volunt.  
 3. Auertantur propter confusionem suam, qui dicunt, Euge euge.  
 4. Exultent & latentur in te omnes qui querunt te, & dicant: Semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutem tuam.  
 5. Et ego adflictus sum & pauper, Deus propera ad me, adiutor meus & liberator meus es tu, Deus meus ne moreris.

VERS. I.

Deus ad liberandum me. ] Græc. & vulg. Lat legunt: Deus in adiutorium meum intende.  
 Et pudefiant. ] Vulgata Latina: Et reuereantur.  
 Auertantur propter confusionem suam. ] Ebr. שׁוּבוּ עַל עַקְבֹּבֶשְׁתִּי. Græc. & vulgat. Lat. Auertantur statim erubescetes. Illud, Statim, non est in Ebræo. Hieron. Reuertantur ad vestigium confusionis suæ.  
 Auertentur propter mercedem pudoris sui.

LECTIO.

- Vers. 1.  
 Vers. 2.  
 Vers. 3.

Deus